

in præsens minaci tamen vultu. Detectis deinde peccatis unaque deposito turpi amore, liber deinceps a terrore fuit. Eodem tempore in Bavaria mulier ærumnosa cum dæmoni se devovisset, verberibus ab illo tundebatur et terroribus agitabatur, ita ut ab ingressu templi, virgarum, quas sola videbat, intentu arceretur. Adducta ergo ad confessarium patrem societatis, animum expiavit, et omni molestia liberata est.

IV. Afferuntur simiæ, id est, gaudium internum, quies et recreatio conscientiæ. Curavit enim Salomon afferri sibi simias, ad recreationem animi et tristitiam pellendam, quod animal sit facetum et histrionicum. Jam vero certum est, quod ait Sapiens, Ecclesiast. III. *Cor nequam gravabitur in doloribus.* Et S. Augustinus cum ait: *Domine, jussisti, et vere ita est, ut omnis inordinatus affectus sibi sit pœna.* Hinc magni peccatores, teste experientia, in tantis anxietatibus degunt, ut alii desperent quemadmodum Cain; alii violentas sibi manus inferant ut Judas; alii imaginentur sibi stare contra se peccata sua et vindictam postulare, sicut David, qui sanguinem Uriæ, quem occidi jusserat, velut militem armatum contra se stantem videns, clamavit ad Deum: *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ,* Psalm. L. Ac sicut nemo potest quietus esse, quamdiu spinam corpori infixam gerit; ita nec peccator. Unde idem David, Psalm. XXXI. *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in ærumna mea dum configitur spina.* Atqui confessio sincera spinam istam extrahit, animoque quietem restituit; liberat enim hominem ab onere gravissimo, estque illi nuntius bonus de terra longinqua, asserens pœnam æternam ei condonatum et mutatam esse in temporalem. Hunc nuntium audire desiderabat David, quando dixit: *Auditui meo dabis gaudium et lætitiã, et exultabunt ossa humiliata.* Ossa nimirum illa, quæ olim jucunde saltabant ante arcem et cithara ludebant, nunc autem ob peccatum facta sunt humiliata et conturbata. Et quidem postquam confessus est peccatum suum prophetæ Nathan, tunc audivit nuntium illum: *Dominus transtulit peccatum tuum,* II. Reg. XII. Hoc gaudium experiuntur quicumque rite confessi sunt, ut ipsi testes sunt. Idem testantur SS. Patres: audi Chrysostom. in id Genesis XLII. « Merito hæc patimur; sicut ebrius, inquit, quando multum vini ingurgitat, nullum sentit a vino damnum; postea autem sentit, quantum sit damnum. Ita peccatum donec consummetur, obtenebrat mentem, deinde vero conscientiam exurit, et quovis accusatore gravius arrodit,

monstrans absurditatem facti. » Sic ille. Quid igitur nos liberabit ab hac ustione et arrosione? *Vomitus.* Confessio evomens peccata admissa (ita enim appellatur, II. Pet. II.) *Vomere et refrigerabit te,* ait Ecclesiasticus, cap. XXXI. Sed magnæ molestiæ est vomitus? Esto: brevis tamen est molestia et brevissimo medicinæ compendio adducens sanitatem. Talis et confessio, quæ etsi molesta, brevis tamen est, et mox affert mentis tranquillitatem. Audi Origenem, hom. II. in Psalm. XXXVII. « Sicut hi qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immunitia, si vomuerint, relevantur; ita et hi qui peccaverunt, si quod occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit delictum, atque omnem morbi digerit causam. » Sic ille. His accedit S. Laurentius Justinianus de discipl. et perfect. monast. cap. XIX. « Confessionis sacramentum velut sinus pacatissimus est, in quo hominum conscientiæ religantur, ne a procellis absorbeantur. » Denique Tertull. de pœnit. cap. IX. ait: *Tantum relevat confessio delictum, quantum dissimulatio aggravat.*

V. Afferuntur et pavones, id est, variæ et pulcherrimæ virtutes, quæ parantur in confessione. Per confessionem enim disponitur homo ad virtutum exercitium. Idcirco filio prodigo reverso per pœnitentiam dedit pater non modo stolam primam, gratiam scilicet justificantem; sed etiam annulum in manibus, et calceamenta pedibus, hoc est, vires inclinationum et stimulos ad bene operandum. Ibi enim imprimis discitur humilitas, quando etiam superior inferiori sæpe se subicere, tamquam reus judici debet, coramque eo se confundere. Unde Tertullianus, lib. de pœnitentia exomologesin appellat *prosternendi et humiliandi disciplinam.* Deinde ad alias etiam virtutes stimuli adduntur. Cum enim peccatorum fœditatem cognoscimus, eaque detestamur, et firmiter proponimus emendationem, audimus etiam confessariorum hortamenta et instructionem; denique adhibemus remedia et peragimus opera satisfactoria, quæ multorum peccatorum optima sunt antidota; quomodo fieri potest, ut non incipiamus fieri meliores? Qui in balneo lavat, sudat, fricatur, tergitur; quomodo non mundior egreditur et deinceps permanet, quam qui nunquam balneat? Hinc certe ubi viget studium frequentis confessionis, ibi virtutes, ibi bona opera, ibi rara vitia. In confessione urgentur restitutiones, animorum reconciliações.

obediencia magistratui præstanda, obligationes omnium statuum, executiones honorum propositorum; extinguuntur prava molimina; jubentur ali pauperes, coli parentes, suum cuique tribui, quieta vita agi, etc.

Contra vero ubi nullus aut exiguus confessionis usus, ibi omnis generis immunditiæ et vitia regnare debent; uti apud hæreticos claret. Nec miram, quomodo enim ager bonas fruges ferat, nisi prius expurgetur a spinis? Quomodo terra germinet, dum nive, glaciæ aut aqua tecta est; *Congregentur* (prius) *aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum, et appareat arida,* dixit Deus, et tunc primum subdidit: *Germinet terra herbam viventem, etc.* Gen. I. Similiter congregentur prius sordes cordis nostri in locum unum, prævio conscientie examine, et deinde ejiciantur per confessionem, tunc radius gratiæ Dei affulgebit et profertur terra nostra virtutum flores, et fructus bonorum operum.

Quæ cum ita sint, magno et alacri animo conscendamus in hanc navim, quæ tanta advehit bona. Neque tennis annis semel, quemadmodum fecit Salomon, classem hanc emittamus; sed potius ter in anno imo multo crebrius. Nam solida nobis bona advehit confessio, non fluxa et transitoria, quemadmodum classis Salomonis, sæpius igitur emittenda. Deinde non est opus ut longinquum iter conficiamus et navigemus usque Tharsis. *Regnum Dei intra nos est,* ait Dominus, omni tempore, omni loco comparare hæc bona possumus. Quid, quod tandem cælum advehit nobis confessor? Ibi aurum Deus, argentum Christi humanitas; ibi Nazarei candidiores ebore, deliciæ omnis generis, quas nobis ibi largiri dignetur Deus.

CONCIO IV.

FRUCTUS ET UTILITATES FREQUENTIS CONFSSIONIS.

I. Diaboli machinationes destruit. — II. Magnam lucem affert. — III. Pœnarum reatus delet. — IV. Suavem et facilem reddit confessionem. — V. Sanitatem mentis conservat. — VI. Ad beatam mortem disponit.

THEMA.

Fugit iterum in montem ipse solus. Joan. VI.

Videtur Christus Dominus delectatus esse montibus, adeo in iis frequens erat. Etenim in Nazareth, super montem sita (ut habetur Lucæ IV.) conceptus est, in monte transfiguratus, in monte et tentatus, in montibus orare et quandoque docere consuevit, ad montes se recepit quasi ad asylum, ut in hodierno evangelio, in monte vi-

tam finiit, in monte ad cælum ascendit. Unde recte Salomon de eo dicere potuit: *Ecce iste venit saliens in montibus,* Cantic. II. At vero cum omnis Christi actio nostra sit instructio, quomodo nos in hoc imitari eum possumus, ut montes frequentemus? Possumus, auditores, nisi admodum difficulter, si nimirum frequentemus pœnitentiæ sacramentum seu confessionem. Ibi enim asylum reperiemus, et secure abscondemur ab insidiis diaboli, ut non immerito in hunc sensum intelligere possimus, quod angeli dixerunt Loth de Sodomis erepto: *In monte salvum te fac,* Gen. XIX. Et quod Matth. XXIV. de excidio Jerosolymitano dixit: *Tunc, qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.* Quoniam ergo Christus tam frequens fuit in montibus, et in hodierno evangelio iterato ad montem fugit, audiamus, quæ utilitates consequantur eos, qui crebræ confessioni student.

I. In montibus major est securitas. Unde castella et munitissimas arces fere in montibus præaltis cernere est. Quis enim nescit facilius esse ex edito loco pugnare in depressum, quam ex humili in altum? Hinc adversæ acies montium culmina aliaque editiora loca præoccupare student. Mons igitur confessio est, ex qua si tam frequens sit, hostes animæ tuæ non difficile debellabis, et quasi tot lapidibus obrues, quot confessiones peregeris. Acerrimus Israelitarum hostis fuit rex Syriæ, et sæpe eis insidias struxit, sed quamdiu Elisæus detexit regi Israel occultas Syri machinationes, tamdiu Syriæ rex nihil contra Israellem potuit. Cum enim Syrus certo in loco statuisset insidiari Israeli, statim hoc Elisæus indicavit regi Israel, qui prior occupavit locum illum. Unde indignatus Syrus dicebat ad suos: *Quare non indicatis mihi, quis proditor meus sit apud regem Israel?* Cumque unus responderet Elisæum esse, qui ex occulta scientia omnia narraret regi; vertit se rex contra Elisæum, ut caperet eum; tandemque desiit infestus esse Hebræis, IV. Reg. VI. Quis iste rex Syriæ, nisi hostis noster Satan? Quot enim ille nobis insidias et cuniculos nunquam non machinatur? At si nos regi Israel, confessario inquam nostro, qui revera rex animarum et actionum nostrarum est et esse debet, clancularias demonis insidias, quas subinde nobis molitur, tentationes, deceptiones, victorias item, quas de nobis reportare solet, crebro aperiamus, omnes ejus molitiones recident in nihilum. Etenim confessarius noster præoccupabit loca illa, in quibus dæmon laqueos nobis tendit; monebit quomodo prævenire et contra eum nos armare possumus; sicque efficiet ut victus et pudefactus

recedat. Superbus ille veterator non fert arcana sua detegi; ac proinde odit etiam et extinctam cupit crebram confessionem, quæ produntur ejus fraudes. Unde Eccles. XXVII. dicitur: *Qui denudat arcana, amici fidem perdit.* Non facile aranea textit sua retia in divitum cubiculis, quia novit ea statim scopis deturbari, sibique imminere periculum, ne cum tela sua dejectus pedibus proteratur. Pari modo diabolus cum videt alicujus conscientiam scopis confessionis crebro perpurgari, non facile ibi nidificat aut laqueos suos tendit, metuens sui interfectionem et turpem dejectionem. Profecto si dux militiæ talem habere posset hominem, qui omnia hostium machinamenta, pontes, aggeres, tormenta, valia, castra, uno signo crucis (quo modo olim Archimedes in Syracusana obsidione Marcelli, speculo versus solem suspensus, radiosque in navigia dirigens effecit ut ingens flamma recta in classem hostium illata, totam concremarit, apud Zonoram, to. II.) evertere et in nihilum redigere posset, quanti eum aestimaret? Quomodo ejus opera non frequenter uteretur? Atqui hoc revera potest confessarius, qui uno crucis signo et duobus verbis: *Absolve te, omnes dæmonum insidias in te excogitatas disjicere et subruere potest.* Confessio tua speculum est, in quo non solum te contemplari, sed quo etiam classem tartaream incendere potes mediante absoluteione, qua velut cælesti radio in confessionem incidente, exuruntur peccata tua, dæmonum navigia, quibus alioquin peccatores ad inferos deducunt pessimi Charontes.

II. In montibus major luminis copia; in vallibus umbræ et obscuritates sunt. Crebra quoque confessio magnam homini lucem affert, ad seipsum et defectus suos probe agnoscendos, ut quæ toties hominem monstrat sibi et undique rimatur. Solis radii efficiunt, ut in aere videamus atomos et minimos pulvisculos. Hujusmodi vero lumen, sed spirituale, comparatur frequenti confessioni, in qua partim a confessario, partim a nobis ipsis edocemur nosse etiam minores defectus eosque non contemnere, sed magni aestimare; edocemur varias industrias præservandi nos a peccatis, præliandi contra dæmonem. In panno mundo et loto facile conspicimus maculas etiam leves; ita in conscientia per confessionem sæpius repurgata apparent etiam levissimi defectus, quos alii non aestimant, indeque se paulatim fœdissime commaculant onerantque maximis debitis Deo persolvendis. Pavimentum marmore stratum, raro tersum, nitorem suum haud ostendit; ita etiam homo, qui raro expurgat animam scopis confessionis, exiguum sui

notitiam habet, indeque fit ut multa etiam gravia in confessione sua omittat; siquidem a toto vel medio anno omnia meminisse difficillimum est. Multum vero interest, ut agnoscamus defectus nostros, non graviore tantum, sed etiam minores et quotidianos; quia nisi eos observemus nos, observabit certe diabolus, ut suo tempore nobis obtrudat et pœnas a nobis exigat. Scimus enim ex parabola seminis jacti, diabolicam illam avem colligere et devorare semina, quæ secus viam ceciderunt; quia scilicet observat et diligenter memoriæ commendat, quidquid non neglexerimus, vel ex culpa oblitiv fuerimus, necessarium salutis nostræ. Neque in eo furtivum agere possumus diabolus, ut advertit sanctus Chrysostomus, homil. XXXI. Operis imperfecti, quia non perforat domum, non despoliat quemquam, sed colligit tantum ea, quæ nos contemnimus et negligimus. Scribit Bartholomæus, Faïus consiliarius regius in libr. de energum. et Alexic. ap. Bredenbach. lib. VII. collat. sac. cap. XXXVI. dæmonem e visceribus ejusdam matronæ Nicolæ (quem episcopus Laudunensis exorcismis perurgebat) adstantium nomina edidisse et consilia publicasse, non sine risu vitæque exprobrasse; nominatim alicujus Mangonis, indicato latente sui equi vitio, qui Laudunum a S. Quintini urbe advenerat; qui inito itinere strenue incederet, sed eo aliquantulum emenso valde claudicaret. Interim tamen nemini audebat peccatum aliquod objicere, quod quis per sacramentalem confessionem eluisset. Turbæ tamen confluentis quam plurima nomina et prænomina edixit, addens cujus sectæ et sortis essent. Quemdam adstantium, dicebat magna exclamans voce, trigesimum interfuisse concioni (Calvinisticæ) quæ paulo ante Crespii Laudunensium fuerat habita. Ita fere Faïus, ex quo colligimus quanti intersit nosse peccata sua et crebro expiare, quando ea dæmon tam solerter adnotat. Verum dicit aliquis, se non habere, vel saltem non invenire, quod toties confiteatur. Respondeo signum id esse, eum in suam conscientiam non satis introspicere, nec nisi grandia peccata agnoscere; nam leviora nunquam desunt, quæ etsi confiteri necessarium non est, utile tamen valde est et præter eorum remissionem novam parit gratiam. Quis autem non libenter eo vadat, ubi scit non solum remittenda sibi debita, sed insuper munus aliquod in sinum adjiciendum? Rursum dicit quis, se fere cum iisdem semper peccatis ad confessionem recursurum, nec sine pudore item toties recantare posse, seque in eadem mox recidere. Respondeo. Licet

manus sæpe commacules, non ideo tamen cessas in die sæpius eas abluere, et claudus licet ea parte qua claudus est, togam semper collutulet, non cessat tamen sordes quotidie defricare.

III. In montibus aer est purior, crassior in vallibus. Pari modo crebra confessio purificat et absolvit animam a multis reatibus, vel in hoc vel in altero sæculo luendis. Complectitur enim confessio actum contritionis, vel attritionis saltem, deinde pudorem et erubescitiam in peccatorum manifestatione, denique satisfactionem sacramentalem, quæ cum ex vi sacramenti operetur, plus virium habet ad diluendas pœnas, quam alia voluntarie assumpta. Unde S. Ambrosius, lib. de Joseph. c. XXXVI. ait: *Purimum suffragatur verecunda confessio ad pœnam, quam defensione vitare non possumus, pudore confessionis extinguimus.* Magnum foret beneficium, si caupo aliquis diceret, se mediam debitorum contractorum partem tibi semper remissurum, si mensibus singulis venturus esses ad rationes cum eo ponendas. Nec dubito quin tu hanc gratiam acceptares, eumque finito mense sedulo accederes. At hoc tibi dicit Deus. Num ergo mavis expectare, donec adeo crescent debita tua, ut venundari debeas cum omnibus tuis et luere in purgatorio.

IV. In montibus habitatio jucundior est. Ita etiam frequens confessio longe suavior est quam rara; quia minoris laboris, minoris erubescitiae, minorem quoque debet satisfactionem. Rusticus aut bubulcus qui toto anno nunquam peccit crines suos, tandem pectere se jussus, non sine dolore et capillorum evulsione id faciet; at vero aulicus quispiam, qui quotidie concinnat comam, nullo id negotio facit. Par ratio in confessione. Scimus Davidem armis inassuetum incedere non potuisse, cum lorica Saulis indutus esset, quia usum non habebat, I. Reg. XVII. ita etiam difficulter aggrediuntur confessionem et cum labore peragunt, adeoque ut plurimum parum exacte, qui sibi eam familiarem non faciunt, sed differunt in longum, ad pascha vel ad lethalem morbum. Similes militi ignavo, qui gladium suum nunquam aut rarissime exierit e vagina; unde fit ut rubigine contracta vaginæ adhærescat, et cum evaginari debet, nequeat; itaque cum vagina in sterquilinum ejiciendum sit. Ita enim peccator, qui confessionem nimium differt, tandem a morte præventus, confiteri sæpe et animam suam ostendere sacerdoti nequit; unde sine sacramentorum præsidio et solatio hinc discedit et moritur velut brutum; atque, ut timendum, ejicitur in infernum. Dicitur huic videtur

quod Ezechielis, cap. XXIV. legitur: *Væ civitati sanguinum, cujus rubigo est in ea.* Sedulus et industrius miles crebro exierit gladium suum; et quamprimum videt eum contrahere rubiginem illico expolire satagit; quod est boni Christiani qui suam conscientiam crebro expiare solet, præsertim ubi advertit, rubigine aliqua infici.

V. In montibus aer est salubrior, indeque sanitas incolarum diuturnior. Eadem sanitatem præstat frequens confessio; quia stas suas ventilationes et purgationes habent. Scimus sacificationes menstruas vel hebdomadarias plurimum conducere ad conservandam corporis sanitatem. Mirum non est, nitidum esse hypocaustum, quod vel hebdomadatim vel quotidie veritur. Stamina quo sæpius tinguntur, eo candidiora fiunt; semel tantum aut iterum tincta parum candoris induunt. Naaman ille Syrus adeo detersit lepram, ut carnem infantili teneritudini et puritati similem acquisierit, quia scilicet non semel, sed septies in Jordane lotus est, IV. Reg. V. Propterea Sanctus Antonius dicebat magnam esse ad virtutem viam, si quis universas mentis cogitationes fratribus referret, apud Athan. in vita. Quod si patri spirituali fiat, majori adhuc fructu fiet, quod experta est S. Birgitta, quæ hebdomadariae confessionis adjumento magnam obtinuit sanctitatem, teste Lud. Blosio in Monil. spir. cap. V. Ejusdem fructum eximium observarunt Birgerus S. Birgittæ pater, ejusdemque frater apud Sur. tom. IV. XXIII. Jul. cap. XIII.

E contra ubi rara est confessio, ibi multas esse sordes oportet. Coma, quæ raro aut nunquam peccitur, vermes gignit et nutrit; lintea et industria, quæ diu non lavantur, fetorem contrahunt et sua vetustate dissolvuntur.

VI. In montibus longe major et patentior quam in vallibus est prospectus. Et qui crebræ confessioni addictus est, mortem a longe prospicit, nec improvisam sentiet, quia per usum exomologesis semper ad eam se componit. Lupus prior hominem videns fertur ei loquelam adimere; non item prior ab homine visus, at refert Plinius, libr. VIII. cap. XXII. Quis hic lupus, nisi mors? Quæ si hominem imparatum et peccatorum sordibus oppletum ex improvise adoriatur, adimit ei vires ad recte confitendum; quod indicat parabola Matthæi XXII. ubi quidam deprehensus sine veste nuptiali et interrogatus: *Amice, quomodo huc intrasti, obmutuit.* Unde de his intelligi potest quod Jerem. V. dicitur: *Lupus ad vesperam (mors sub finem vitæ) vastavit eos, quia, ut subditur, multiplicata sunt pravocationes eorum.* Fur qui lictorem post se currentem vi-

det, quamprimum abiecit furtum; qui vero licetorem non videt, furtum refinet in malum et suspendium suum. Qui post peccatum mox ad confessarium currunt, et expediunt iniquitate sua mortem sibi insidiantem conspiciere et fugere dignoscuntur; non item qui peccatis suis indormiunt. Ad illos referendus David, qui postquam a Nathan reprehensus est de peccato suo, statim confessus est: *Peccavi Domino*, II. Regum XII. Ad hos vero ejus filius Salomon, qui ab ipso Deo irato redargutus non tamen est confessus, nec indoluit. Nimirum David in peccati statu semper inquietus fuit: *Non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum*, inquit Psalm. XXXVII. Ideo ejus peccatum bene a Nathan propheta comparatur peregrino, qui ad virum divitem divertit, in parabola illa invectiva, ut expendit S. Augustinus, lib. II. de doctr. Christ. cap. XXI. dicens: « In Davide immoderate libidinis non permansio sed transitus fuit; propterea etiam ab arguente propheta ille illicitus appetitus hospes vocatus est. At in Salomone non quasi hospes transitum habuit, sed regnum libidinis possedit. » Sic ille. Propterea Deus Salomonem redarguens dixit: *Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum et præcepta mea, quæ mandavi tibi, dirumpens scindam regnum tuum*, III. Reg. XI. Ubi Abulensis, q. XVII. verbis illis: *Quia habuisti hoc apud te*, vult indicari Salomonem tunc peccatis suis jam diu inhæsisse factumque fuisse obstinatum. Qua ex re discere possumus, quam periculosum sit diu differre pœnitentiam; quando sapientissimus Salomon, ubi assuevit suis sceleribus, nec ipsa Dei increpatione emolliri ad pœnitentiam et confessionem potuit. Idcirco David confitens absolutionem mox obtinuit a Nathan dicente: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. Sed non item Salomon, quia necdum confiteri voluit. Quare, auditores, si forsan, quod absit tamen, ad vos diverterit labes aliqua gravior, curate saltem, ut ea non nisi velut hospitem, mox ejiciendum, domi toleretis; nolite illi dare jus municipatus aut hospitii diuturni; imo cum tali hospite nolite cubitum ire; quis enim cum serpente vel una nocte dormire posset? Currite quamprimum ad vestros confessarios, ut qui potestatem habent expellendi tales hospites; fugite iterum iterumque ad montem et asyllum confessionis, ut ibi salvi sitis, et nos vobiscum, amen.

CONCIO V.

PANES HODIERNI EVANGELII QUOMODO TYPUS
EUCCHARISTIÆ SINT.

I. Quoad ritum conficiendi. — II. Quoad modum. — III. Quoad integritatem Christi in sacramento. — IV. Quoad sufficientiam unius speciei. — V. Quoad dispositionem. — VI. Quoad effectum. — VII. Quoad universitatem.

THEMA.

Unde ememus panes, ut manducent hi? Joan. VI.

Cur hodierna die Ecclesia legat hoc evangelium de quinque panibus, ratio est præcipua, quod per hujus evangelii documenta instruere nos cupiat et disponere ad sacrum pascha, seu eucharistiæ susceptionem; siquidem typum continet s. communionis, et ad eam rite peragendam uberem præbet instructionem. Dicit hoc Ecclesia ab ipso Christo Domino, qui de eucharistiæ instructione facienda populum docturus in capite Joan. VI. per hoc miraculum viam sibi paravit, ut facilius illis persuaderet tam miram institutionem, quid circa illam credere, et quomodo ad eam se quisque disponere deberet. Nimirum ad mysterium fidei difficile facilius capiendum et credendum voluit Dominus pro more suo populum manu ducere, præmittendo specimen aliquod futuri mysterii. Sic etiam ut facilius persuaderet hominibus Deum in carne venturum, passurum, moriturum, resurrecturum, in celos ascensurum, in eucharistia remansurum, in terris et ab hominibus sumendum esse: ideo in veteri lege hæc mysteria multis figuris adumbravit et rudi quadam minerva instar pictoris delineavit.

Ut igitur Christi et Ecclesiæ consilium sequamur, videbimus et nos, qua ratione hodierna historia typus fuerit eucharistiæ.

I. Quoad ritum conficiendi; nam acceptis quinque panibus aspiciens in cælum, gratias egit, benedixit et fregit, et dedit discipulis, discipuli autem turbis, ut ait partim Joannes, partim Matthæus, in hodierna historia, cap. XIV. In ultima vero cœna accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis: ait idem, cap. XXVI. Idem ergo ritus conficiendi, tametsi non eadem efficacia, sed diversa. Et hoc eodem ritu utuntur sacerdotes in confectione eucharistiæ.

Primo itaque accepit panes in manus suas, ut se auctorem miraculi ostenderet per suam virtutem; non impetrare precibus a Deo ut Elisæus et alii sancti. Ita et, sacerdos accipit panem in manus consecraturus in persona Christi; non impetraturus precibus, sed potestate sibi a Christo seu vicario ejus collata.

Secundo aspexit in cælum Christus in panum multiplicatione, propter circumstantes: (quod etiam fecisse in institutione eucharistiæ sentit Ecclesia in canone) ut ostenderet a Deo honorum omnium fonte cibum hominum emanare, juxta id Ps. CXLIV. *Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum*. Secundo, quod e cœlo hanc habeat potestatem seu a Patre. Sacerdos consecraturus elevat similiter oculos in cælum, ut ostendat, non esse hunc, quem consecrat panem terrenum; sed cœlestem, seu panem de cœlo descendentem, uti dixit Christus. Quando manna deciderat primo dicebant Hebræi: *Manna*, quid est hoc? Quibus respondit Moyses: *Hic est panis de cœlo quem dedit vobis Dominus ad vescendum*. Sed nos respondemus de eucharistia: *Hic est panis de cœlo descendens, qui dat vitam mundo*.

Tertio gratias egit, videlicet pro hominibus manducaturis, quorum bonum reputabat suum. Iisdem verbis utitur sacerdos consecrans, quibus in persona totius populi (nam hujus personam sustinet, velut legatus ejus) gratias agit Deo pro institutione eucharistiæ, quæ gratiarum actionem sonat.

Quarto benedixit, panis multiplicationem videlicet eis imprecando. Benedixit etiam sacerdos panem mox consecrandum signo crucis, non quod ea benedictione panis consecratur, sed quod hæc potestas consecrandi a crucifixo proveniat ejusque principali operatione. Unde Chrysost. hom. LX. ad populum ait: *Cum sacerdotem videris offerentem, ne ut sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam*.

Quinto fregit, et in ea fractione panes in manibus multiplicavit. Sic in institutione eucharistiæ fregit panem ante consecrationem. Ad consecrationem sumitur panis jam fractus, hoc est, divisus in particulas seu hostias minutas, propter miraculum. Potest tamen hostia etiam consecrata frangi, et nihil inde minuatur sacramentum.

Sexto dedit discipulis, ut ipsi distribuerent turbæ. Non dedit ulli ex populo, nec ulli mulieri; sed discipulis suis, ut ostenderet, se potestatem consecrandi non omnibus, sed sacerdotibus tantum collaturum esse in cœna: contra Lutherum, qui non laicis tantum, sed et feminis, imo et diabolo ac matri ejus concedit potestatem conficiendi hoc sacramentum. Adfuisent sane multi alii fortiores apostolis, qui plures gestare potuissent panes, vel citius currere ad singulas mensas. Sed noluit eorum opera uti Dominus, qui noluit eis potestatem hanc concedere.

II. Quoad modum conficiendi; nam unde in

II. PARS HIEMALIS.

hodierno evangelio ex paucis panibus et pisciculis, tanta utrorumque abundantia? Alterutrum dicendum, vel per creationem ex nihilo fuisse multiplicatos vel per conversionem aliorum corporum, ut aeris, vaporum vel terræ in panes et pisces. Si secundum dicatur, habemus contra hæreticos nostros possibilem esse conversionem panis in corpus Christi, et ita conficit in cœna Christus ex pane carnem suam, conficitque per manus sacerdotum semper. Si primum, tunc si potuit facere Christus quod difficilius est, creationem scilicet novi panis de nihilo; cur non possit id quod facilius est, conversionem unius corporis in aliud? Nam, ut ait Ambrosius, libro III. de Sacramento, capite quarto: « Sermo Christi qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non sunt? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas. » Sic ille.

III. Quod integritatem, qua Christus in eucharistia semper integer perseverat. *Et sumptus non consumitur*. Hæc enim indicatur in quinque istis panibus, dum revera multitudinem incredibilem satiarunt, interim vero nihil ex eis perditum videbatur; siquidem plures superfuerunt, quam aderant initio. Ita ergo Christum in eucharistia: *Sumit unus, sumunt mille: quantum isti, tantum ille, nec sumptus consumitur*. S. Andreas dicebat Ægææ proconsuli: « Ego omnipotenti Deo, qui unus et verus est, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari, cujus carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, agnus qui sacrificatus est, integer perseverat et vivus. » Ut habetur in ejus vita.

IV. Quoad sufficientiam unius speciei. Ut enim hodie Christus turbis potum dedisse non legitur, quod videlicet cibus ille virtute Christi confectus vim etiam extinguendi sitim habuerit, ut sentit Carthus, Joannis VI. Ita per hoc indicare voluit, sufficere, imo consultius esse, unam tantum adhibere panis speciem in eucharistiæ sumptione. Habet enim eucharistia sub una specie eandem virtutem et efficaciam, quam habet sub utraque; et Christus neutrum præcepit, sed modo de una tantum specie loquitur, in hoc ipso capite Joannis VI. ubi inter alia etiam dicitur: *Qui manducat hæc panem, vivet in æternum*. Modo de utraque. Olim propter Manichæorum hæresin, qui verum corpus Christum habuisse negabant, et ideo non sumebant eucharistiam sub specie vini, ne viderentur verum sanguinem fateri, præceptum fuit ut catholici communicarent sub utraque specie, ut patet ex B. Leone, ser. IV. in quadrag. quod confirmavit Gelasius papa in ep.